

efficiens ipsius ambulationis. Ipsum autem appetibile, quod nondum est, <est> causa finalis; et ut dictum est, non obstat rationi causandi eius quod non sit: sicut enim finis, per esse suum in intentione agentis habet rationem moventis, per hoc autem quod est in materia, habet rationem causae finalis, et hoc in materialibus. In separatis tamen non differt causa movens et finis. Et hoc est quod dicit COMMENTATOR XII^o huius, quod motores caelestes movent finaliter et effective, quia esse eorum, secundum quod in se subsistunt, ab intellectu non differt; et ideo in eis non differt efficiens et finis. Quia | tamen differt esse sanitatis in anima et esse eius in materia, ideo differenter est causa finalis et efficiens, et sic de aliis materialibus.

Ex dictis patet ad rationes: non enim impedit rationem causandi ipsius finis quod non sit in materia, ut dictum est.

QUAESTIO <8>

<CUI CAUSAE PRIMO CONVENIAT NOMEN CAUSAE>

Consequenter quaeritur, cum quattuor modis praedictis dicatur causa, quae illarum sit primo sub nomine. Et videtur quod forma, quoniam causa est ad cuius esse de necessitate sequitur aliud. Ad esse autem ipsius formae maxime sequitur esse ipsius effectus, quoniam per ipsam effectus est id quod est in actu. Ergo forma maxime habet rationem causae.

Oppositum videtur. Quod est causa causarum, maxime est causa; finis est causa causarum secundum BOETHIUM; quare etc.

Item, causa illa ex qua sumitur definitio omnium causarum, maxime est causa. Finis autem est huiusmodi, quia, ut apparet II^o *Physicorum*, ex hoc quod finis serra talis est, oportet formam eius esse talem et etiam materiam. Quare etc.

Item, quod antonomastice appropriat sibi nomen causae, maxime dicitur causa. Finis autem est huiusmodi, nam solus finis accipit in ratione sua causam: est enim finis cuius causa fit aliud.

43 autem] enim scr.

6 sequitur] effectus add. et exp. esse] causae scr. sed exp. et interl. corr. 8 est¹] interl. 14 antonomastice] auctoritate scr. sed corr. 15 finis¹] est add. et exp.

45 AVERROES, *Metaph.*, XII, com. 44 (fol. 328 A-C).

2 Cf. SIGERUS DE BRABANTIA, *Quaestiones in Physicam*, II, q. 8; ed. ZIMMERMANN, p. 161.

9 BOETHIUS, *locus non inventus*.

11 ARISTOTELES, *Phys.*, II, 8 (199 a 30-33).

Dico ad hoc quod finis est causa aliarum causarum. Est enim causa agentis, non quidem substantiae eius, sed rationis agendi: nisi finis rationem appetibilis haberet in intentione agentis, ipsum agens non ageret. Agens autem est causa formae, et quidquid est causa causae, est causa causati; finis igitur est causa formae. Forma autem est causa materiae quantum ad esse; igitur finis causa est materiae; est igitur causa omnium causarum.

Item, ex fine sumitur ratio omnium causarum, ut argutum est; et hinc est quod in naturalibus et moralibus potissimae demonstrationes fiunt ex fine. Si enim ex aliis causis fiant demonstrationes, oportet adhuc causas illas ex fine demonstrare. His suppositis, manifestum est quod nomen causae primo convenit fini, et hoc superius dixit COMMENTATOR.

Ad rationem in oppositum dico quod causa importat influxum in effectum, et hinc est quod ad esse causae sequitur aliud. Sed causa primaria plus influit in suum causatum quam causa secundaria. Cum igitur causa finalis sit causa prima omnium causarum, ut ostensum est, ipsa plus influit in suum causatum, et ita magis ad esse eius sequitur aliud.

Et ad hoc diceret aliquis minorem rationis esse falsam. Item, forma est maxime propinqua ipsi effectui; ipsa fere est ipse effectus: ex hoc enim dicta est quod quid erat esse. Et cum de ratione causae sit esse aliud a causato, apparet quod forma non multum habet rationem causae; immo multum habet rationem effectus.

QUAESTIO <9>

UTRUM EFFICIENS ET FINIS SIBI INVICEM POSSINT ESSE CAUSAE

Consequenter ibi: *Et ad invicem causae sunt*, dicit ARISTOTELES quod aliqua possunt sibi invicem causae esse, ut sanitas causa finalis ambulationis, ambulatio autem causa efficiens sanitatis. Ideo quaeritur utrum efficiens et finis sibi invicem possunt esse causae. Et quod non videtur. Si enim efficiens est causa finis, et finis causa | efficientis, efficiens erit causa

35 esse] causae scr. sed corr.

30/31 Cf. *Liber de causis*, 1: «Omnis causa primaria plus est influens super causatum suum quam causa universalis secunda»; ed. BARDENHEWER, p. 163. Cf. SIGERUS DE BRABANTIA, *Quaestiones in Librum de causis*, q. 1; ed. MARLASCA, p. 36-39.

3 ARISTOTELES, *Metaph.*, V, 2 (1013 b 8).

PHILOSOPHES MÉDIÉVAUX

TOME XXV

ARMAND MAURER

PROFESSEUR AU PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES DE TORONTO

SIGER DE BRABANT

Siger, of Brabant...

QUAESTIONES
IN METAPHYSICAM

TEXTE INÉDIT DE LA REPORTATION DE CAMBRIDGE

ÉDITION REVUE DE LA REPORTATION DE PARIS

LOUVAIN-LA-NEUVE

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE

1983